

*tatione c. 4. §. 6. & Mischn. de permutatione
(sacrificiorum) c. 3. §. 5.*

§. 2.

Solebat autem decimatae bestiae sanguis in
pavimentum altaris effundi, & sic offerri. *Vid.*
Bartenora in librum Mischnicum de sacrifi-
ciis c. 5. §. 8.

THESIS VII.

Fœtus animalis agno paschali sur-
rogati, se habebat, ut ipsum ani-
mal agno paschali surrogatum.

§. 1.

Quæ ita ab Hebræis explicantur, quod si
mater offerretur in sacrificium salutare, etiam
fœtus offerretur in sacrificium salutare. Quod si
pro paschate separata esset femella (utpote ad pa-
scha inepta,) & pareret, vel si prægnans separata
esset, & pareret, pascebant donec vitium contra-
herent, & pro pecuniis, ex iis venditis acceptis,
pascha offerebatur. Quod si autem finito festo
pascha-